UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

27. In festo S. Catharinæ. De decem virginibus Matth. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

paupertate, nihil proprium habendo trāſi-
gere: offerens quoq; ſe in minimam ancil-
lulam matris Meſſiæ venturi. Deinde con-
ſidera quomodo dimiſſis parentibus cum
ſummo ſuo gaudio incluſa fuerit cubicu-
lo templi, & per vndecim annos in eo no-
ctu diuq; ſeruiēs Deo inter angelos vixerit.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYRIS. 25. Nouemb.

De decem Virginibus Matth. 25. 9.

DIXIT Ieſus diſcipulis. *Simile eſt regnū
cœlorum 10. virginibus, quæ cum lampa-
dibus obuiam exierunt ſponſo & ſponſæ.* Con-
ſidera, ſi clericus vel religioſus ſis, primo
quam grata ſit virginitas vel caſtitas, quā
Deo vouiſti, quia eam Chriſtus & B. Vir-
go coluere, aliiſq; ſuaſere, vnde & agnus
immaculatus in Apocalypſi dicitur verſari
in comitatu virginū. ſecundo te debere ge-
ſtare lampadem, id eſt, cor habere apertū
ad cogitāda cœleſtia, clauſum vero ad ter-
rena, lampas enim supernè patet, infernè
clauſa eſt. *Virgo*, inquit Apoſtolus, *cogitat* 1. Cor.
quæ Dei ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. 7.
Tertio obuiam ire ſponſo Chriſto, cui a-
nimam tuam per votum irreuocabile de-
ſponſaſti, & ſponſæ B. Virgini, vel religioni
tuæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tuæ obuiã ibis, ſi omnes cogitationes, deſideria, & actiones ad eius honoré & gloriam, animæq; tuæ ſalutem dirigas, & ſemper quaſi præſentem cernas.

3. *Prudentes virgines acceperũt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lãpadibus, fatuæ ſecus.* Conſidera ad concinnandã rectè lampadẽ ne facile extinguatur, requiri primo vitri claritatem & nitoré 2. ellychnium ſufficiens. 3. vas oleo plenũ. 4, flammę ardoré. 5. ſplẽdorem. Sic Virgo, vel religioſus debet primo eſſe mente & corpore purus. 2. animã ſuam pia aliorum exhortatione, lectione, crebraq́; cõmunione paſcere, vas cordis ſui habere plenũ oleo caritatis & deuotionis in Deum, nam vt oleũ flammã efficit & fouet in lampade, ſic oratio deuota diuini amoris flammã excitat & conſeruat

Pſ. 33. iuxta illud Prophetæ. *In meditatione mea exardeſcit ignis.* 4. debet ardens eſſe in omnibus operibus bonis: nam tepidi ex ore Domini euomuntur. Apoc. 3. 5. bono exemplo aliis prælucere, vt videant opera eius bona, & glorificent patrem cœleſtem.

4. *Eædem ſponſo veniente, quia paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Cõſidera tres eſſe ianuas, quas Dominus in hoc mundo apertas tenet homi-

nibus, vt ingredi cœlum poſſint, quæ poſt iudicii diem omnino claudentur, vt nulli amplius pateat in eas ingreſſus. Prima eſt miſericordiæ & veniæ, quæ patet omnibus habentibus lampadẽ fide cũ oleo pœnitẽtiæ. Secunda eſt gratiæ, ad merẽdũ & proficiendũ in virtute, quæ etiam patet omnibus iuſtis ſe exercentibus in bonis operib. Tertia eſt gloriæ, quæ patet omnib. quidẽ, ſed in gratia, & bonorũ operũ exercitio vſque ad aduentum ſponſi, qui eſt in cuiusq; morte, perſeuerantibus. *Qui enim perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit.* 2. Cõſidera claudi ianuã omnib. qui licet fidẽ in Chriſtum habuerint, caſtitatẽ Deo promiſerint, multos annos in religione tranſegerint, & multis bonis operibus illuſtres fuerint, nõ tamen vſque in finem perſtiterunt. *Matt. 10,*

IN FESTO S. ANDREÆ APOST. *30. Nouemb. 1.*

De Vocatione Apoſtolorum. Matt. 4.

AMbulans Ieſus iuxta mare vidit duos fratres, Petrũ & Andream mittentes rete in mare: Cõſidera quod viderit eos nõ tã corporaliter quã ſpiritualiter, diuino nẽpe oculorũ cõiectu, quo eos ab æterno ad Apoſtolicũ munus elegerat. Verè felix cõiectus qui ex peccatorib. fecit iuſtos, & ex homi- [illegible]